


per te mihi nuntiata, non veraciter credam, nisi oculis propriis videam, & auribus meis audiam. Deinde si nul arripiunt iter, & ad præfatum locum perveniunt, ubi miles, ex Dei providentia, cuncta ei à servo indicata pleniter cognovit, & fideliter credit. Et sic ex divina revelatione compunctus, ad pacem rediit cum Burgenfibus. In prælibato loco parva Clusa erat, in qua morabantur tres virgines sacræ, candidis indumentis vestitæ, Deo viventi fervientes die & nocte. Carbonarii quidam, qui morabantur penes Clusam illam, succidebant arborem prædictam, quam in ignem projiciebant, carbones ex eo facere volentes. Sed Deo cooperante, illud lignum saluiferum & nobile, ternis vicibus de igne saltavit, & in eodem loco statim reffloruit, & ustio in ea nullatenus apparuit, sed omnes ramunculi prædictæ arboris iterum in modum crucis creverunt. Viso hoc miraculo, stupefacti sunt carbonarii terrore nimio, convocantes omnem populum, & demonstrantes ei hoc insigne miraculum. Sic ergo ex revelatione divina, operante Dei gratia, hujus monasterii structura est facta. In structura cœnobii hujus mira opera suæ magnificentiæ peregit Deus, ita, quod ferotino tempore, cum operarii cessassent ædificare, sancti angeli ascendentes & descendentes, & nocte opus unius diei complentes. Manè autem factò operarii venientes, virtutem Dei in hoc opere cognoscentes & nimium admirantes; qui invenerunt structuram magis & magis ædificatam majori & latiori spatio, quam exstiterat die hesternò. Nec tamen poterant considerare aut aliquem defectum perpendere in lignis & lapidibus, & in omnibus ad ædificium pertinentibus. Eodem tempore, Deo disponente, *Jordanus Miles de Campo* migravit de hoc sæculo, qui primitus in hoc loco est sepultus: juxta cujus feretrum ponebatur dolium unum, ut omnes, qui ad exequias illas venirent, elemosynas afferrent. Et ex illis Eleemosynis est ædificatum Monasterium in honorem sanctæ Crucis & beatæ Mariæ Virginis.



XXXVIII.

EXCERPTA

EX ORDINARIO ECCLESIE S. MATTHÆI IN BRUNSVIC

à TEMPLARIIS PER IOHANNITAS AD FRATRES
CALENDARVM SEV S. SPIRITVS
TRANSLATÆ,

Ex MSto.

Nprimis nota, quod anno domini M. CC. LXV instituta est fraternitas sancti spiritus, prout in antiquis registris reperitur. Hanc quidem fraternitatem domini fratres in divinis officiis, apud sanctum Georgium urbis Brunswic peragebant, & tempore *Kalenda* ad domum servientis pro refectione peragebant, usque ad comparationem curiæ templi prænarratæ.

Anno domini M. CCXCIII. Dux *Albertus* certam libertatem dedit clero, per totam terram & ducatum Brunswik, ita quod nullus advocatorum ceu (*) *budellorum* deberet se immittere de bonis presbyteri defuncti, neque exactiones ceu exuvias tollere ceu postulare, prout in privilegiis suis liquidè continetur, quæ arca nostra reperiuntur.

Anno domini MCCCXII. *Clemens Papa V.* in generali Concilio Viennæ celebrato deposuit & destruxit ordinem Templariorum.

Idem Papa assignavit bona & possessiones & domos eorum; ordini S. *Johannis Baptiste hospitalis Hierosolymitani* ad possidendum cum omnibus juribus, privilegiis, libertatibus, obventionibus & aliis quibuscunque, prout ipsi in possessione hæctenus habuerunt, ut patet in bulla sua apud Priorem ordinis dicti domus Brunswik, cujus copiam habemus.

Postmodum vero *Magnus senior, Dux Brunswick* unà cum fratre (**) suo *Ottone*, qui fuit unus de ordine templariorum, quem vulgares nominabant *Hertogbe Ottens*, cepit castrum *Supplingeborg*, & curiam templi in Brunswik. Demum hujusmodi dissensio inter dominum magistrum ordinis, & Ducem prædictum & *Ottonem fratrem templariorum* pacificata & disbrigata tali modo, quod magister ordinis S. *Johannis* assignavit Duci *Ottoni* præfato ad vitam suam

(*) *cur*, id est seu.

(**) imò patruo.

suam curiam templi in Brunswik, & dictos redditus de castro Supplingeborg, & sic *Dux Magnus* tradidit dicto ordini S. Johannis, & magistro castrum Supplingeborg, & curiam templi in Brunswik liberè & quietè perpetuis temporibus possidenda, promittens eis omnia bona quondam templariorum in tota terra & ducatu suo liberè & quiete tradere, & ad possessionem ducere, per se & hæredes suos, & in hujusmodi bonis ipsos defendere & proplacitare, & si quæ bona in posterum possent reperiri, quæ spectassent ad dictum ordinem templariorum, ipse per se & hæredes suos cum omnibus juribus, attinentiis & privilegiis ipsorum, prout dicti fratres templariorum in possessione habebant, in gratiam ordinis S. Johannis, & suis confratribus & dicto ordini assignare perpetuis temporibus possidenda, & ipsos in hujusmodi possessione defendere & proplacitare. Pro his vero supra dictis prædicti, magister & ordo S. Johannis, dederunt dicto Domino Duci quadringentas marcas Brunsvicensis argenti, prout in privilegio desuper hoc confecto continetur, quod apud prædictum ordinem S. Johannis reperitur. Illius copiam habemus, cujus tenor sequitur & est talis: In nomine Domini, Amen. Ne ea quæ geruntur in tempore &c. Datum anno Domini M CCC LVII.

Anno Domini M CCLIX post destructionem templariorum ecclesia S. Matthæi divinis officiis quasi steterat desolata. Quidam presbyter *Georgius de Amelingsforpe* de piis elemosynis discretarum mulierum, *Mechildis* relicte Hoygeri Woltmans, & *Elisabeth* uxoris Jacobi de Plawe, & *Margarethe* relicte Arnoldi de Meynum dotavit altare principale capellæ S. Matthæi, cum favore & adjutorio Consulum indaginis (*) Brunswik, & comparavit ab ordine prædicto sancti Johannis undecim mansos in campis parvæ Scaulegæ situatos, à decima & à qualibet injusta petitione liberos, & viginti quatuor solitos dativorum denariorum Brunsvicens. annui census dandi de area prope brevem pontem & valvam S. Odalrici, quam tunc inhabitabat quidam *Jacobus de Vymmelsen*. Et sic magister & ordo reservabant sibi institutionem istius beneficii, & Consules trinam habebant petitionem, ut pro quo supplicarent, illi magister, sive Prior domus S. Johannis, magistro absente, deberet committere hujusmodi altare principale S. Matthæi cum omnibus bonis suprædictis & juribus, proventibus & oblationibus, prout in commissione, cum qua commissum fuerat, prædicto Domino Georgio, qui primus fuit. Secundus vero *Cunradus Volkmerod*. Tertius rector *Hinricus de Visbeke*, dictorum Dominorum Consulum Indaginis Brunswik tunc Pronotarius.

Hujusmodi vero foundationis continetur quædam scriptura hic apud ecclesiam in quodam festivo, immediatè post canonem, & principale privilegium ordinis S. Johannis continetur apud Consules indaginis Brunsvik, cujus transcriptum procuravit dictus Hinricus, & habetur hic. Et quædam littera de dictis quatuor solidis in area Jacobi de Vymmelsen, tunc nominati, continetur in libro antiquæ civitatis circa annos prædictos.

Item nota, quod in campo parvæ Scaulegæ siti sunt duodecim mansi, quorum novem spectant ad S. Matthæum, reliqui tres mansi spectant plebano ibidem in Scaulege, & decimæ dictarum trium mansorum in campis parvæ Scaulingæ spectant ad S. Matthæum, & ad istos novem mansos, & sic hucusque reservatum est, & hæcenus habemus præscriptionem: Et ego *Hinricus de Visbeke* vendidi eis decimam de graminibus annis præteritis, aliquando pro fertone, aliquando pro tribus lotonibus cuidam *Cunrado Tremmelinges* & aliis, qui habebant illos tres mansos.

Item anno Domini M CCCC VII ego *Hinricus de Visbeke* feci cambium cum quodam villano, nomine *Rottber Middeorp* de consensu Dominorum nostrorum pro una parte agri, descendente juxta curiam meam in Scaulege, ampliando dictam curiam, ut domus ibidem structa & amplius struenda posset stare in medio curiæ, quæ hæcenus steterat in sepe. Pro qua parte agri dedi dicto *Rottbero* unam partem agri in campo parvæ Scaulingæ, quæ dicitur *fimbria*, quarum ego adhuc quinque retinui, quæ vulgariter de *Gberen* dicuntur, & transeunt à meridie in septentrionem.

Sed tempore *Cunradi secundi* rectoris hujusmodi redditus vix fuerunt tres marca cum dimidia. Sed *Hinricus de Visbeke* tandem investigavit & reformavit hujusmodi redditus, videlicet oblationes, census quatuor solidorum in *Broitzen*, & campum parvæ Scaulegæ, & conscripsit hujusmodi campum singulariter, prout in alio registro continetur.

Si vero plebanus ecclesiæ S. Catharinæ vellet petere oblationem S. Matthæi, allegando, quod esset infra limites parochiæ suæ constitutus, dicitur, quod sibi non debeatur, quia ordo templariorum hujusmodi curiam cum ecclesia dudum & à principio liberè, pacificè & quiete possidebat, cum omnibus suis juribus, privilegiis, oblationibus, attinentiis & proventibus, ita quod hic aliquando circa decem personæ cum commendatore stabant in divinis, prout ex relatione veridica recepimus senum & fide dignorum. Et sic Papa Innocentius, post destructionem templariorum, omnia & singula bona, domos, castra, curias, spectantes ad dictum ordinem templi, ordini S. Johannis cum omnibus juribus, privilegiis, libertatibus, obventionibus, & aliis quibuscunque bonis assignavit, prout templarii prædictas libertates &c. in possessione habebant. Hujus verò bulla continetur apud ordinem S. Johannis prænaratum.

Etiam

(*) pars urbis, im Hagen.

Etiam jus commune est, ut quicumque præsentatur & introducitur ad capellam five vicariam, ipsi debentur omnia jura, redditus & obventiones.

Etiam non videmus ordines subesse plebanis, sed magis plebani subsunt ordinibus, videlicet S. Johannis, S. Mariæ ordinis Teutonici, aut regularibus & aliis, qui agunt curam animarum. Et qui hic rector est altaris principalis, est *capellanus* ordinis S. Johannis, prout in fundatione continetur, in qua lucidè invenitur, quid sit agendum cum oblationibus.

Anno Domini MCCCLXVII Domini & fratres fraternitatis S. Spiritus comparaverunt capellam S. Matthæi cum præsentatione beneficii prænarati cum sua curia, quæ *Tempel-hof* dicitur, cum muro & sepi & omnibus adjacentibus, attinentiis & connexis pro centum, quingenta marcis Brunsvicensis ponderis & valoris à magistro *Hermann* de *Werberge* ordinis S. Johannis præceptore, cæterisque suis fratribus, prout in privilegio desuper confecto continetur.

Anno Domini MCCCLXXII *Albertus* Episcopus Halberstadenfis hujusmodi ordinationem fraternitatis, & dictæ curiæ & capellæ cum aliis statutis laudabilibus fraternitatis prædictæ observandis, approbavit, ratificavit, & sua autoritate ordinaria confirmavit, prout in privilegio desuper confecto continetur, adjiciens dies indulgentiarum confratribus quadraginta, qui prædictæ ecclesiæ ac fraternitati manus suas portexerint adjutrices.

Prædictus *Georgius* struxit & reformavit primam domum lapideam, positam juxta portam cum suo æstuario, in quo *Camerarius* fraternitatis pro nunc debet inhabitare.

Nota. circa curiam prædictam quidam *Georgius*, fundator beneficii, apposuit certam summam ad comparationem curiæ præfate, & *Hermannus de Bonstidde* etiam apposuit LX marcas, qui fuit Decanus, & hujusmodi curiam inhabitabat. Hic *Hermannus Bonstidde* reformavit magnam domum lapideam, quæ *Ridderbus* dicitur, quæ totaliter erat combusta, apponens proprias pecunias, pro qua dabitur præsentia ad perpetuam memoriam sibi peragendam. Etiam struxit coquinam cum tegmine stramineo. Similiter horreum & pistorium. Etiam struxit armarium five sacristiam. Struxit etiam cameras super murum juxta plateam, & plura bona fecit, pro quibus anima sua requiescat in pace.

Nota. post comparationem curiæ, quidam *Lodovicus de Sampleve* domum lapideam, cujus janua transit ad plateam, quod antiquitus *braxatorium*, vulgariter *dat Moltbus* dicebatur, impetiit, allegans sibi in feudum à Domino Duce in Brunswic concessum. Ad amputandum hujusmodi lites, Domini & fratres dederunt ei sex marcas Brunsvicensis, quas exposuit *Grete*, uxor *Ghemers* pro sex solidis annui census ad lampadem, hic in ecclesia pro memoria *Hermanni de Gustidde* suorumque benefactorum ardendam. Et sic hujusmodi impetitio est annihilata, & ipse resignavit liti & causæ, cujus resignationis litera habetur in antiquo libro civitatis indaginis Brunswic, & nos habemus privilegium.

Insuper hujusmodi domus senio quasi fuit annihilata, quam *Hinricus de Visbeke* vendidit quidam *Bertoldo Regenboden* carpentario, ad vitam suam ad renovandum, faciens sibi adjutorium cum uno plaufro *pluteorum Goslariensium*, & alia sustentamenta exhibuit, ita, quod dictus *Bertoldus* stramineum tegmen dejecit, & novam domum super murum apposuit, prout nunc est. Post mortem dicti *Bertoldi* uxor sua ad duos annos, si vixerit, inhabitare potest: postmodum verò dicta domus et melioratio redibit ad ecclesiam.

Item post comparationem curiæ *Cunradus de Weverlinge* impetiit dimiditatem cimiterii versus meridiem, allegans sibi in feudum per magistrum ordinis assignasse. Iterum ad amputandum hujusmodi litem fratres dederunt certam summam pecuniæ, & sic ipse iterum resignavit juri, liti & causæ. Cujus resignationis litera continetur apud Consules indaginis in novo libro civitatis circa annos Domini MCCCXCVII.

Item in comparatione dictus *Georgius de Amelingsforpe* in Decanum est receptus. Idem resignavit, & constituerunt Domini *Hermannum de Bonstidde*.

Post decessum Domini *Hermanni de Bonstidde*, quidam *Ludolphus de Arberge* in Decanum est receptus.

Post istum *Ludolphum* prædictum Dominus *Johannes Strunk* in Decanum est receptus.

Post *Johannem* prædictum Dominus *Johannes Röse*, Rector parochialis ecclesiæ in *Solde*, hic sustentavit curiam, in quantum potuit.

Anno Domini MCCCIII Domino *Johanne Rosen* defuncto, Domini fratres petierunt Dominum *Hinricum de Visbeke*, Protonotarium duorum Consulium indaginis Brunswic, ut reciperet Decanatum & curiam, quia, cum ipse per prædictos consules pro rectore altaris principalis ecclesiæ S. Matthei esset præsentatus, ut ipse in salutem animæ suæ tam hujusmodi ecclesiæ, quam curiæ & fraternitatis gereret provisionem, quam ipse justis petitionibus inclinatus recepit, & gravibus langvoribus & laboribus hujusmodi negotium, tam ecclesiam quam curiam reformavit. Hic reformavit coquinam cum parvo æstuario, & textibus lateribus duplicibus: Similiter & horreum, de quo etiam stramina deposuit & lateribus textit. Fecit caminos duos de lateribus, unum in magno æstuario, alium in domu ante portam.

tam. Plura alia reformavit, clenodia, ornamenta ecclesiæ, & fraternitatis utensilia comparavit. Hic Hinricus cum *Güntero*, Camerario, comparavit bona in *Tzylle*, ut in posterum paret. Hic Hinricus struxit novam domum *Calandsbur*.

Anno Domini MCCCCXXII in profesto S. Aegidii obiit Dominus Hinricus Visbeke tertius, & ultimus per duos Proconsules Brunsvicenses in indagine ad altare principale capellæ S. Matthæi præsentatus. Eo vero mortuo fratres Kalendarum S. Spiritus honorabili viro Domino *Bertoldo de Hamelen* idem altare principale capellæ præfatæ primitus contulerunt, ipsum in Decanum suæ fraternitatis eligendo. Pro eodem etiam tempore *Conradus Lenhardi* receptus est in Camerarium dictæ fraternitatis. Hi duo hic in curia in suis officiis fideliter procurantes, ultra triginta annos cum familia decenti residerunt, sed tandem transferuntur ad patres.

Anno Domini MCCCCLVII in profesto S. Aegidii obiit Dominus *Bertoldus de Hamelen*, primus per Dominos confratres Kalendarum S. Spiritus cum altari principali capellæ S. Matthæi beneficiatus. Eo vero mortuo mox fratres Kalendarum S. Spiritus prædicti honorabilem virum Dominum *Bernhardum Reinerdes* ad idem altare principale capellæ S. Matthæi præsentarunt, ipsumque in Decanum elegerunt. Hic *Bernhardus* erat secundus, cui dicti Domini confratres altare præfatum contulerunt. Pro eodem etiam tempore *Henningus Geddingk* in Camerarium dictæ fraternitatis est receptus.

Anno Domini MCCCCLIX d. XX. April. obiit Dominus *Bernhardus Reinerdes*. Ipso autem mortuo honorabilis vir Dominus *Dietericus Petri* ad altare principale capellæ S. Matthæi per Dominos fratres Kalendarum S. Spiritus, servatis servandis, ibidem est beneficiatus, & in Decanum receptus. Hic Dominus *Dietericus* est tertius à Dominis Confratribus beneficiatus.

Nota. Ex quo pericula præcognita lædere solent minus; hinc est, quod Dominis fratribus nostræ fraternitatis causa (*) aversionis insinuat per præsentis. Quemadmodum M CCCC LVI ipso die Bonifacii, velut mortuo Domino *Conrado Lenhardi* Camerario nostro, mox & in continenti honorabilis vir Dominus *Luderus Horneborch* Canonicus ecclesiæ S. Blasii Brunsvik una cum honorabili viro Domino *Ottone* Plebano ecclesiæ S. Katharinæ & aliis quam pluribus sibi complicitibus magna cum astutia arripuit ingressum nostræ curiæ templi S. Matthæi, & clausa porta in medium exhibuit quandam copiam literarum, ut dicitur, *Ludero Horneborch* patruo suo per Dominos Proconsules in indagine super officio Camerariæ, pro beneficio ab ipsis reputato sigillatarum atque decretarum, requirens dictum Dominum *Ottone* Plebanum, ut ipsum ad prædictum officium pro beneficio, ut præfatur, deputatum investire dignaretur, quod mox de facto, licet minus justè, obtinuit: Domini vero Kalendarum fratres, audita fama ista, & cognito, maximè sibi in hoc contra Deum & justitiam, esse injuriam, contra suos in hac parte injuriatores appellaverunt, ac se diversis modis opposuerunt, significantes dictis suis injuriatoribus, quatenus dictum officium non esset beneficium, & quod altaria hujusmodi, quæ eorum Camerarius solitus est respicere, quorum unius una cum domo camerariæ accepissent, licet minus justè, possessionem, non essent redditibus dotata. Illo vero ita reperto memoratus *Luderus* a præfata possessione resiliit, & Domini Confratres Kalendarum Dominum *Hermannum Schvemann* in Camerarium elegerunt, qui tum postea liberè resignavit. Qua resignatione factâ, Domini confratres *Henningum Bedding* in Camerarium elegerunt. Sint igitur fratres ad amplius vigilandum avifati, & quod faciant suas electiones, ipsis suis officiis & beneficio vacantibus, per hoc autem faciliter possunt hisce periculis & sibi similibus obviam ire, pro quo militat (***) modus eligendi hic in ordinario inscriptus, & à fratribus hucusque usitatus: nihilominus videtur periculosus; cumque fratres in brevi tempore pro electione fienda non possunt convocari ex eò, quod dispersim in civitate suas trahunt moras, cumque ipsis jam convocatis possit inter ipsos pro electione fienda oriri discordia, fiet dilatio temporis: in quo quidem tempore longo inter medio Domini confratres faciliter possent in sua electione præveniri. Ut igitur electio aliter fiat, ubi sic proceditur: cognita infirmitate Decani beneficiati aut camerarii, fiat convocatio confratrum generalis, qua Domini Confratres super electionem post mortem Decani aut Camerarii fienda compromittant in duos vel in tres magis ad hoc aptos, qui onere hujusmodi accepto requirant singulos fratres &c.

Nota. Ex prædictis colligitur & haberi potest una magna utilitas, propter quam Decanus beneficiatus & Camerarius ex constitutionibus nostris adstricti sunt hic ad personalem residentiam: & vice versa incommoditas & periculum, consequens eorum absentiam. Iphis namque hic residentibus, & ab hac luce migrantibus, obitus eorum fratribus nostris præ aliis citius notificatur. &c.

Anno Domini MCCCCV Dominus *Hinricus de Visbeke* hic quondam Decanus erexit ac consecrari fecit altare, hic in medio ecclesiæ situatum, in honorem S. S. Trinitatis, S. Ma-

O o o

ria,

(*) evitacionis.

(**) id est infirmit.

ria, S. Michaelis, S. Antonii, S. Erasmi, S. Dorotheæ & S. Brigittæ, cujus dedicatio celebratur ipso die Antonii.

Hæc reliquæ continentur in eodem altari: de S. Bartholomæo Apostolo, de S. Longino, de S. Benedicto, de S. Sergio, de tunica purpureâ Christi, de S. Agatha, de undecim millibus virginum, de veste S. Catharinæ, de S. Barbara, de S. Maria Magdalena.

Anno Domini MCCCCVII. in die B. Martini Episcopi obiit Dominus *Gunterus* quondam Camerarius fraternitatis S. Spiritus ecclesiæ S. Matthæi in Brunswik. Et pro eodem tempore honesta Domina *Jutta de Hamelen*, *Johannes de Halberstad*, & *Elisabeth* uxor ejus legitima, incolæ oppidi Brunswik, videntes quod Camerarius dictæ fraternitatis non potuit in duabus marcis, quas habet annuatim de Bursa ecclesiæ, contentari, quodque Camerarius amplius hic in curia in laboribus est adstrictus: ideo pietati moti, animo & intentione meliorandi officium Camerariæ prædictæ fraternitatis, nec non in augmentum divini cultus, sui que ac parentum & amicorum suorum salutem & peccatorum remissionem, dederunt ad prædictam fraternitatem ac Ecclesiam B. Matthæi quinquaginta sex marcas Brunsvicensis. Quarum triginta sex exposuit præfata *Jutta de Hamelen*: Viginti vero reliquas *Johannes de Halberstat* & *Elisabeth* sua uxor. Ita videlicet, quod hujusmodi pecuniarum summam Domini Confratres memoratæ fraternitatis ponere debeant ad reditus & census annuales, per Dominum Camerarium secundum successum temporis ad ejus sustentationem sublevandos, & ad celebrandum aut celebrari faciendum per eum ex his reditibus tres vel quatuor missas in septimana, ante prædictum altare in medio ecclesiæ ante chorum, ut præfertur, noviter erectum & consecratum. Ex post verò Anno Domini MCCCCVII. Dominus *Hinricus Vübeke* Decanus, *Hermannus Bonstidde* Camerarius, cum consilio & scitu cooperatorum pro tunc existentium, apponendo quatuor marcas Brunsvicensis spectantes ad memoriam Domini *Johannis Solinge*, comparaverunt sibi à strenuo *Wilhelmo de Ampleve* cum consensu *Bernhardi* & *Hinrici Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium* quatuor mansos in *Remelinge*, tres marcas in reditibus facientes. De hujusmodi censu, ex his quatuor mansis proveniente, debent dari quinque solidi *dativorum denariorum* ad memoriam Domini *Johannis Solinge*. Reliquum verò habebit quidam *Bertoldus de Hamelen*, quem Domini Confratres ob preces & petitiones dictæ Juttæ ex post in Camerarium elegerunt ad vitam suam. Post mortem autem dicti Domini Bertoldi remanebit officium annuale, sicut & officium decanatus. Ad quod officium Domini confratres eligunt Camerarium ad tres annos, quibus elapsis, si valet ad hoc, ex tunc ut præfertur, manebit diutius. Idem *Johannes de Halberstad* & *Elisabeth* sua uxor dederunt tabulam de annuntiatione super dictum altare. Idem pro eodem tempore antedictus *Bertoldus de Hamelen* procuravit per bonos suos amicos ad fraternitatem & ecclesiam B. Matthæi præfatas, unum calicem quinque marcarum Brunsvicensium in valore vel citra: item unam casulam rubeam de serico cum suis correquisitis, in valore quinque marcarum vel citra. Item unam mappam margaritis ornatam cum suo antependio decem marcarum in valore æstimatam. Hujusmodi clenodia apud fraternitatem & ecclesiam jugiter manebunt.

Anno Domini MCCCCXX in die S. Michaelis honestus vir *Albertus Kogbele*, volens animæ suæ & animabus amicorum suorum in memoria sibi fienda salubriter providere, & cultum divinum ante dictum altare, in medio ecclesiæ situatum, ampliare, dedit triginta duos florenos ad nostram fraternitatem, quorum tredecim positi sunt ad ejus memoriam, reliqui verò ad usum fraternitatis, ex quibus Domini Confratres ordinabunt suffragia, de S. Erasmo & S. Antonio, per Dominum Camerarium ad dictum altare pro tempore dicenda.

Nota. Mortuo aliquo cooperatores presbyterorum, Decanus & Camerarius una cum cooperatore vivente eligant cooperatorem presbyterum. Sed mortuo uno cooperatores laicorum, Decanus & Camerarius, una cum cooperatore laico vivente reeligant cooperatorem laicum. Iphis autem cooperatores laicos ambobus mortuis, fratres clerici eligant duos cooperatores laicos cum consilio Decani & Camerarii.

Nota. Mortuo Decano vel Camerario, Domini confratres presbyteri nostræ fraternitatis inter fratres eligere debent Decanum & Camerarium cum consilio duorum cooperatores laicorum. Laici verò eligant, si opus fuerit, duos cooperatores laicos cum consilio Decani & Camerarii. Et si eligendus in Decanum aut Camerarium non fuerit actu in fraternitate, postuletur extra, & recipiatur primo in fraternitatem: deinde fiat electio. Si tamen Domini confratres presbyteri non possunt super isto aliunde postulando concordare, tunc quicquid major vel sanior pars dictaverit, illud transeat & manebit, dummodo unius scilicet Decani aut Camerarii adsit consensus. Si autem fiat discordia in electione Decani, tunc quem Camerarius cum duobus cooperatores presbyteris & sanioris consilii, quos ad se elegerit, & duobus cooperatores laicis secundum conscientias eorum elegerint, iste permanebit Decanus. Simili modo in electione Camerarii, si discordia fuerit, tunc quem Decanus cum duobus cooperatores presbyteris sanioris consilii, & duobus cooperatores laicis, ad se super hoc vocatis, secundum conscientias eorum elegerint, iste permanebit. Si verò

vero isti quinque non possunt inter se concordare, compromittant in tres & quem illi secundum conscientias suas elegerint, ille permanebit. Nota tamen, quod ad beneficium præsentatus, actu esse debet in nostra fraternitate, & in eadem ad annum steterisse.

Nota. Si aliquis fuerit eligendus in Decanum, hic habebit sub titulo perpetui beneficii altare principale nostræ ecclesiæ, quod Dominus *Georgius de Amelingstorpe* dotavit, quod Domini confratres ei conferant, si ipsum vacaverit, recepto ab eo hujusmodi voto, videlicet, quod velit personaliter hic in officio Decanatus residere cum familia decenti, & non velit ipsum beneficium permutare, nisi cum consensu fratrum nostræ fraternitatis. Deinde ipsum præsentabunt magistro ordinis S. Johannis *litteratoriè* per præsentationem, si fuerit in *Supplingeborch*. Si autem non fuerit ibi, præsentabitur Domino *Priori domus S. Johannis in Brunswik*. Et idem Prior nomine sui ordinis inducat eum in corporalem prædicti altaris possessionem. Si quis autem fuerit eligendus in Camerarium, similiter voveat, quod velit hic residere in suo officio cum familia decenti. Et ex post Domini confratres eum eligant, committendo ei altare minus principale ante chorum, ut ipsum una cum altari super *pricham* (*) respiciat; dicendo tres vel quatuor missas in septimana ad altare ante chorum, & tres vel quatuor missas ad altare super *pricham*. Potest tamen missas aliter ordinare secundum ejus arbitrium, salvo tamen isto, quod sit quotidianus, sicuti & Decanus est & esse debet in celebratione missarum, ad suam altare cotidianus. Legitimo tamen impedimento semper remoto.

Decanus insuper electus & per Magistrum ordinis sive Dominum Priorem prædictos ad possessionem sui altaris introductos, ipso Magistro ordinis aut Domino Priori absente, hujusmodi faciat votum: Ego voveo & promitto Domino Deo & nostris patronis ac confratribus meis, quod bona, census, redditus, ornamenta ecclesiæ, ac utensilia, suppellectilia decanatus, camerariæ, fraternitatis, ac totius curiæ fideliter volo conservare, nec ea alienare, sed in effectum meliorem producere, in quantum valeo. Hujusmodi votum Camerarius etiam faciat, dum electus fuerint. Deinde Decanus per Camerarium & per cooperatores ducatur ad possessionem suæ domus, & conscribat, aut conscribi faciat, omnia bona fraternitatis, videlicet census, redditus, ornamenta ecclesiæ, utensilia, suppellectilia Decanatus, camerariæ & totius curiæ. Sic similiter Camerarius, cum electus fuerit, & postquam fecerit votum, duci debet per Dominum Decanum & cooperatores ad suam domum, ei deputatam, ad conscribendum similiter omnia bona fraternitatis, Decanatus & Camerariæ, nec non ornamenta ecclesiæ & clenodia ea, quantum spectant ad suum officium, fideliter custodiendo.

Nota: ex quo usus in medio comprobatur, hinc est quod prædecessores nostri quatuor duntaxat cooperatores, scilicet duos presbyteros & duos laicos, Decano & Camerario ad pertractandum specialiter causas fraternitatis adjunxerunt, quos Camerarius ad hoc faciat, specialiter convocari. Si tamen opus est, potest facere convocationem confratrum generalem, juxta suum arbitrium. Appositi autem sunt hujusmodi quatuor cooperatores Decano & Camerario, ex his principaliter subscriptis causis: primò, ut simul examinent fratres ad nostram fraternitatem recipiendos, quos diligenter considerent in vita & honestate morum, an sint tales, quod possint & velint onera fraternitatis portare, & cujusmodi commodum & utilitates ex recipiendis fraternitati possit accidere. Similiter an virtutibus & moribus sint adornati. Nam ex his una persona semper alteri est præferenda. Secundò, ut intersint computationi Camerarii, quam faciet omni anno ex parte bonorum fraternitas, ut ea cognita sciant bona & census fraternitatis, & quomodo fraternitatis in his pro tempore melioratur & pejoratur, & ex hoc servator concordia & unio inter fratres. Sunt namque quidam in fide multum debiles, qui si scirent computationem non fore sufficienter coram cooperatores factam, statim putarent bona fraternitatis alienari, & ex hoc rumorem & discordiam inter fratres suscitarent. Tertiò, ut conservent fraternitatis secreta, videlicet sigillum, literas ac privilegia & hujusmodi, quæ quamvis sint in suo loco reclusa, bonum tamen est, quod diversis clavibus custodiantur, ne ad aspectum & usum illorum veniant, à quibus fraternitati incommodum & periculum possit evenire.

Nota: Si Dominus Camerarius fratres convocari fecerit pro aliquo negotio ex parte fraternitatis pertractando, si tunc aliqui eorum se absentaverint, quicquid tunc fratres præsentantes statuerint, absentes hoc habere debent ratum & firmum. Si tamen Domini fratres in causa vel causis, ad quam vel quas sint convocati, non possunt concordare, tunc quicquid major vel sanior pars faciendum dictaverit, hoc transeat & manebit, dummodo tamen amborum illorum, scilicet Decani & Camerarii intersit assensus pariter & consensus.

Nota: ex quo ordo summè necessarius est in omni re & statu mundi: Sit igitur Decanus primus & superior rector nostræ fraternitatis, ecclesiæ & totius curiæ, ipsam cum consilio Camerarii & cooperatores gubernando. Debet autem Decanus ex parte sui officii fratribus præesse in divinis, cantando per se missas in anniversariis & solennitatibus Kalenda-

(*) *pricha*, dialecto inferioris Saxoniz, quod superioribus (*em*) *por-Kirche*, quibusdam *lincdra*, seu eminentior in templo locus.

rum, & inhabitare domum prope cimiterium, lateribus duplicibus tectam, cum familia decenti. Sed Camerarius post eum ex parte sui officii debet præservare clenodia & ornamenta ecclesiæ, & cameram & officium sacristæ, & diebus festivis ecclesiam cum his, quæ ad ejus ornatum & decorem spectant, ornare, reliquias, plenarium & alia clenodia pro tempore ad altaria ponendo & imponendo. Debet etiam Camerarius emonere census & redditus fraternitatis, & frumenta colligere, sub custodia habere, vendere omni anno, & ex illis præsentias ad memorias dare, nec non fraternitati, & ecclesiæ, & toti curiæ in necessariis præesse cum consilio Domini Decani. Et omni anno facere Decano & cooperantibus computationem de omnibus sublevatis & expositis ex parte fraternitatis, & inhabitare debet domum lapideam ante portam, similiter cum sua familia decenti.

Debent etiam Decanus & Camerarius uti tota curia & suis annexis in licitis & honestis ad usum & profectum eorum æqualiter, sed tamen Camerarius non habebit pecora, vaccas, pullos & hujusmodi, ad evitandum controversias & discordias, quæ ex illis inter ipsos possent evenire. Debent etiam Decanus & Camerarius omni anno vendere fructus arborum pomerii ex parte fraternitatis, & de sublevatis ex his Camerarius faciet etiam computationem. Ipsi tamen sibi reservare possunt gramina pomerii & arbores aliquas, & fructus earum dividere, inter se æqualiter ad usum eorum, nec non confratrum, & sororum, quibus tempore Kalendarum prandio facto fructus ad mensam ministrabunt. Etiam Decanus & Camerarius debent semper in curia personaliter residere propter amissionem rerum, ut eo competentius officia sua valeant exercere. Si tamen aliquis eorum fuerit decrepatus aut infirmus, tunc Decanus aut Camerarius habebit Capellanum, qui vices suas geret tali modo, ut dictum est, & talis Capellanus sit in loco præsens, vel in locis vicinis, ut hujusmodi onus procurationis poterit portare, sit tamen hic Capellanus unus de fratribus.

Nota: ex quo Domini Decanus beneficiatus & Camerarius, juxta nostram constitutionem præscriptam, debent hic in curia residere & divina ac alia eis commissa, in propriis personis respicere; idcirco rationabiliter concluditur, & pro concluso haberi debet per præsentem. Ut singuli Domini fratres personaliter interesse debent nostris divinis, videlicet vigiliis & missis ac aliis solemnitatibus, annuatim in nostra fraternitate peragendis: non admittant igitur Domini confratres, si aliqui Dominorum velint eos hic constituere, allegando nostram constitutionem præsentem, quæ pro concordia confratrum nostræ fraternitatis conservanda & aliis utilitatibus colligibilibus ex ea est hic inscripta.

Nota: ex quo expedit scire, quid per dominos confratres nostræ fraternitatis tenendum sit de redditibus ad officium Decanatus aut Camerariæ, nec non ipsi beneficio deputatis ipso Decano beneficiato aut Camerario, viam uniuscujusque carnis ingresso, & novo Decano beneficiato, aut Camerario reelecto, cui vel quibus de isto anno esse debeant aut pertinere. Idcirco memorati Domini maturâ super hoc deliberatione præhabita definiunt statuendo per præsentem: Qui redditus hujusmodi in casu præfato hinc inde partes habere debent, secundum temporis correspondentiam eosque ut sic ad istum annum sublevare.

XXXIX.

M. IOHANNIS BVSCHII
LIBER REFORMATIONIS
MONASTERIORVM QVORVNDAM
SAXONIÆ,

Ex MSto.

Incipit liber Reformationis Monasteriorum ordinum diversorum, quem compilavit Venerabilis Pater Dominus Johannes Buschk, quondam Prior monasterii in Sulta, ac Præpositus Novi operis prope Hall, [abbreviatus tamen.]

CAPITVLVM PRIMVM.

De initio vite & conversationis fratris Johannis Buschk ante religionem. Et de susceptione ejus in VVINDESEN in Clericum ad probam.

Miseri-